

*Ecclesiis  
Conf. non*

*M. Rube*

post can-  
odo. res-  
rari. — 20

lingunt &

V. Cenas

Comme-

est tertis

natur. in

vel pro

rvandum

tecostes.

ni potest

Altare

Sancti,

um Ru-

um sub

S. Anto-

C. — 1

omnium

ia pos-

us ap-

omni-

aliqui-

eo die,

Octavam

ectio de

. 1671.

16. Occurrente Festo Purificationis B. M. Virgin. Dominicis Septuagesimæ, vel similibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri, non est ob id protrahenda etiam recitatio Antiphonæ *Alma Redemptoris*. Sed die 2. Februarii post Completorium, illa dimissa, sumenda est Antiphona *Ave Regina Cælorum*, sublato quolibet asserto difformi quarumcumque Ecclesiarum usu, sive consuetudine, ita ab omnibus, qui Romano Breviario utuntur, passim servari mandavit S. R. C. 11. Januarii 1681.

13. Officium Angelorum Custodum occurrens cum alio Duplici minori, debet habere integras Vesperas. 1. Martii 1681.

14. Decisum jam fuit (tempore 30 Sept. 1679,) quod de Festo translato faciendum sit Officium die immediate sequenti, non impeditur, etiam si adsit aliud ejusdem dignitatis Festum prius translatum; non tamen idem intelligendum est, si adsit aliud Festum, seu Officium majoris Ritus prius translatum. — 1. Martii 1681.

15. In Missis Votis privatis, de SS. Sacramento, & de Officio duplici quæ celebrantur in Ecclesiis, ubi adest SS. Sacramentum expositum occasione quadraginta horarum, non dicitur *Credo*, nisi aliter competat Missæ Officii duplici de die. — 2. Decembris 1684.

16. In Missâ privata de Sancto duplici, vel semiduplici, de quo talis die est Officium, potest quidem fieri Commemoratio de SS. Sacramento exposito occasione Quadraginta horarum, sed omittenda in Festis primæ & secundæ Classis. 2. Dec. 1684.

17. Occurrente eadem die Festo novem Lectionum Kalendarii particularis cum altero festo Kalendarii universalis, quæ tamen sint ejusdem Ritus, prius recitari

debet de Festo Kalendarii particularis, & postea universalis. — 22. Januarii 1689.

18. Non licet aliquid ex devotione, seu autoritate, privatâ miscere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant Officia cujusvis diei, quia in Officiis Sanctorum nihil est addendum, vel immutandum, nisi à S. Sede Apostolicâ concessum fuerit. — 10. Junii 1690.

19. In Missâ Patroni minis principalis non debet dici *Credo*. S. R. C. 2. Dec. 1684, in *Beneventana*, & 15. Septembris 1691, in *Licien*, in quâ declaratum fuit, particulam *Patroni* intelligendam esse de Patrono principali tantum, nec extendi posse ad minis principales; & ideo in horum Missâ non esse dicendum Symbolum.

20. Evangelium pro solemnî benedictione Palmarum à Sacerdote celebrante absque Diacono & Subdiacono, canendum est in cornu Epistolæ. — 27. Aprilis 1697.

21. In Depositione Defunctorum in verbis illis: *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo*; quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo*, immutari in *servâ tuâ* vel *servis tuis* absque Sacræ Rubricæ læsione, & servandum est Rituale. — 31. Augusti 1697.

22. In Expositione, & Repositione SS. Sacramenti non est addendum *Alleluia* ad Versiculum *Panem de Cælo* &c. (5. Junii 1698) Hæc resolutio non est intelligenda de tempore Paschali, nec de diebus infra Octavam Corporis Christi.

23. In Festis SS. Martyrum, Confessorum & Virginum, quæ celebrantur sub Ritu duplici majori non est dicendum Symbolum in Missâ, sed servantur Rubricæ generales Missalis Romani, cap. XI. de Symbolo. — 19. Junii 1700.